



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Sancti Agobardi Archiepiscopi Lvgdvnensis Opera

Sancti Agobardi Archiepiscopi Lvgdvnensis Opervm ...

**Agobardus <Lugdunensis>**

**Parisiis, 1666**

Opvscvlvm Primvm. Responsio ad interrogationem cujusdam de  
Praescientia vel Praedestinatione divina, & de Libero arbitrio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14657**



## OPVSCVLA DVO

EIVSDEM ARGVMENTI,

AMOLONIS AD GOTHESCALCVM

Epistolæ adjuncta in Codice

Trevirensi.

## OPVSCVLVM PRIMVM.

*Responsio ad interrogationem cuiusdam de  
Præscientia vel Prædestinatione  
divina, & de Libero arbitrio.*



OMNIPOTENS Deus, quia verissi-  
mè verus & solus Deus est, omni-  
no in sua æterna & incommutabili  
scientia præscivit omnia antequam  
fierent, sicut Scriptura testatur, di-

Dan. 13.

cens: *Deus æterne, qui absconditorum es cogni-  
tor, qui nosti omnia antequam fiant.* Præscivit er-  
go sine dubio, & bona quæ boni erant facturi,  
& mala quæ mali erant gesturi. Sed in bonis  
ipse fecit sua gratia ut boni essent: in malis ve-  
rò, non ipse fecit ut essent mali, quod absit:  
sed tantùm præscivit eos proprio vitio tales



futuros. Neque enim præscientia Dei imposuit eis necessitatem, ut aliud esse non possent, sed tantum quod illi futuri erant ex propria voluntate, ille ut Deus prævidit ex sua omnipotenti majestate. Vnde Scriptura, incontaminabilem justitiam ejus nobis insinuans, ait de illo: *Ne-* Ecc. 15;  
*mini mandavit impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi.* Quòd ergo impiè agunt impij & iniqui, & spatium temporis vitæ hujus, quod eis dedit Deus ab bene agendum, ipsi è contrario convertunt ad malum exercendum, non Dei sed ipsorum est culpa, & ideo rectè damnantur ipsius justitia. Præscivit autem idem omnipotens Deus etiam æternam illorum damnationem, sed ex merito ipsorum, quos in propria malitia perseveraturos prævidit, non ex sua, quod absit, iniquitate, qui nihil injustè constituit, & qui reddit unicuique secundum opera sua, id est, & bene agentibus bona æterna, & malè agentibus mala perpetua. Ergo bonos præscivit omnino, & per gratiam suam bonos futuros, & per eandem gratiam æterna præmia accepturos, id est, & in præsentis seculo bene victuros, & in futuro feliciter remunerandos. Vtrumque tamen ex dono misericordiæ Dei. Vnde Apostolus vasa misericordiæ eos appellat dicens: *Vt ostenderet divitias gratiæ* Rom. 9.  
*suae in vasa misericordiæ, quæ preparavit in gloriam.* E contrario autem malos, & præscivit per propriam malitiam malos futuros, & præscivit per suam justitiam æterna ultione damnandos. Sicut præsciebat de Iuda proditore quòd eum esset traditurus, sicut Evangelium dicit: *Cùm* Ivan. 6;  
*esset unus de duodecim.* Præsciebat etiam æter-



*Math. 16.*

nam ejus damnationem, cūm diceret: *Va homini illi per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Sic & de impiis Iudæis, præsciebat sine dubio eorum impietatem futuram, de qua prædixit in psalmo:

*psal. 68.*

*Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* Præsciebat & subsequenter ipsorum damnationem, de qua in eodem psalmo subjunxit: *Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur.* Sed in his, & in omnibus iniquis, illud prius ex propria est pravitate, istud sequens ex divina æquitate. Hoc modo & de prædestinatione Dei omnino sentiendum est. quia in bonis prædestinavit, & ipsam eorum bonitatem futuram ex dono gratiæ suæ, & pro eadem bonitate æternam ipsorum remunerationem, ut ipsius dono fierent boni, ipsius dono essent remunerati. Vnde ait Apostolus:

*1. Cor. 2.**Rom. 8.*

*Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum.* & alio loco: *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui.* Prædestinavit utique electos suos, ut & nunc assumerentur in adoptionem filiorum Dei per gratiam baptismi, & in futuro efficiantur conformes imaginis filij Dei, per eandem Dei gratiam secundum imaginem ejus renovati & glorificati. Prædestinavit omnino, ut & hi essent boni, non ex se, sed ex illo, & illi beati, non per se, sed per illum. In utroque ergo bona sua in eis & de eis futura præscivit & prædestinavit. In malis verò & impiis, non prædestinavit omnipotens Deus malitiam & impietatem, id est, ut mali & impij essent, & aliud esse non possent: sed quos præscivit & prævidit



malos atque impios futuros proprio vitio, ipse eos prædestinavit ad æternam damnationem justo iudicio. Non quia aliud esse non potuerunt, sed quia aliud esse noluerunt. Ipsi igitur sibi metipsis extiterunt causa perditionis: Deus autem justus iudex & ordinator justus ipsius damnationis. Non enim prædestinavit injusta, sed iusta. Prædestinat tamen & coronas justis, & pœnas injustis, quia utrumque est iustum. Quam iustitiam ejus commendans nobis Apostolus, ait: *Numquid iniquus Deus, qui infert iram? absit.* Rom. 3. Et quia modò omnibus prærogat patientiam, ut convertantur ad pœnitentiam, & qui pereunt, suo contemptu & duritia pereunt, quia tantam Dei patientiam contempserunt, iterum alio loco dicit: *An divitias bonitatis & patientiæ & longanimitatis ejus contempnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Rom. 2. Secundùm duritiam autem suam, & cor impœnitens, thesaurizat sibi iram in die iræ & revelationis justi iudicij Dei, qui reddet unicuique secundùm opera sua. Hinc etiam alia Scriptura testatur, dicens: *Deus mortem non fecit, nec latatur in perditione vivorum: impij autem manibus & verbis accerserunt illam, & estimantes amicam deflexerunt & sponsiones posuerunt ad illam, quoniam digni sunt qui sint ex parte illius.* Sap. 1. Non ergo omnipotens Deus ulli hominum causa mortis vel perditionis existit; sed ipsam mortem & perditionem manibus & verbis ipsi impij sibi accersunt, dum nequiter operando, & nequius aliis suadendo, & sibi & illis damnationem adducunt; dum viam iniquitatis & perditionis amantes, à recto itinere de-



176 AMYBONIS ARCHIEPISCOPI  
flectunt, & ad perpetuam damnationem, tanquam  
datis inter se dextris, pari consensu nequitiae,  
quasi ex voto & sponfione festinant, Fœderati  
mortis, & vitæ æternæ inimici: ipsi secundum  
duritiam suam, & cor impœnitens, thesaurizant  
sibi iram in die iræ. In qua die iudicij Dei,  
quia unusquisque secundum opera sua recipit,  
nemo ex Dei præiudicio, sed ex merito propriæ  
iniquitatis, condemnatur. Non enim ille aliquem  
prædestinavit ut malus esset, sed verè omnem  
malum prædestinavit ut impunitus non esset.  
Quia & unaquæque lex iustum crimen non jubet,  
ne sit iniusta, & tamen criminofum punit,  
ut verè sit iusta. Qui ergo dicit, quòd hi qui  
pereunt prædestinati sunt ad perditionem, &  
ideo aliter evenire non potest, similiter quoque  
& de iustis, tanquam & ipsi ideo salventur,  
quia prædestinati ad salutem aliud esse non  
potuerunt. Qui ergo hæc tam confuse & infulse,  
& illis tollit meritum damnationis, & istis  
meritum salutis. ac per hoc quid aliud agit,  
nisi ut & pereuntibus secundum illum sit  
imposita necessitas perditionis, & his qui  
salvantur, sit imposita necessitas salutis? atque  
ideo nec illi iuste damnentur, qui iusti esse  
non potuerunt, nec isti iuste remunerentur,  
qui aliud quam iusti esse nequiverunt, ut in  
utraque parte & perditio & salus non sit ex  
iudicio propriæ actionis, sed ex præiudicio  
divinæ præordinationis? Et ubi erit illud: *Qui reddet  
uniquique secundum opera sua?* & iterum: *Numquid  
iniquus Deus qui infert iram?* absit. Aperte  
namque causa perditionis illorum qui pereunt  
in Deum refertur, si ipse eos ita ad interitum  
præde-

Rom. 2.

Rom. 3.



prædestinavit, ut aliud esse non possent. Quod  
 sentire vel dicere horribilis blasphemia est. Sed  
 Ecclesiæ Catholicæ fides, cujus filij & secta-  
 tores esse debemus, ita nobis firmissimè tenen-  
 dum insinuat, ut superiùs juxta Scripturæ san-  
 ctæ auctoritatem breviter designavimus. Videli-  
 cet omnipotentem Deum, in malis ipsorum ma-  
 litiam præscisse, quia ex ipsis est, non prædesti-  
 nasse, quia ex illo non est: pœnam verò illorum  
 & præscisse, quia Deus est, & prædestinasse  
 quia justus est. ut & in illis sit meritum suæ  
 damnationis, & in illo potestas & judicium ju-  
 stæ damnationis. Non enim prædestinat Deus,  
 nisi quæ ipse facturus est: præscit verò multa  
 quæ ipse facturus non est, sicut omnia mala;  
 quæ utique mali faciunt, non ille. Ipsos quo-  
 que malos non ideo perire, quia boni esse non  
 potuerunt: sed quia boni esse noluerunt, & suo  
 vitio vasa iræ apta in interitum perseverave-  
 runt, & in massa damnationis, vel originali, vel  
 actuali meritò permanserunt. In bonis autem,  
 omnipotens Deus, sicut supra satis ostensum  
 est, utrumque præscivit & prædestinavit, ut &  
 in præsentī vita per suam gratiam existerent bo-  
 ni, & in futura etiam beati. Vtriusque enim bo-  
 ni eorum, id est, præsentis & futuri, ipse est  
 auctor, & idcirco sine dubio utriusque præcog-  
 nitor & prædestinator. Quare & ipsi ex seipsis  
 non solùm aliud esse potuerunt, sed etiam aliud  
 fuerunt, antequam per eum, qui justificat im-  
 pium, ex impiis justī efficerentur. Sive autem in  
 illis qui salvantur, sive in illis qui pereunt, vo-  
 luntas propria remuneratur, voluntas propria  
 damnatur. Sed in illis, quia per gratiam Domini



ni Salvatoris est sanata, ut ex mala & prava fieret bona & recta, est proculdubio dignissime coronata: in istis autem, quia non acquiescit per Salvatorem recipere sanitatem, iustissime per eundem iudicem sentiet perpetuam damnationem. Et hoc est breviter totum, quod de libero arbitrio juxta veritatem catholice fidei est tenendum. Quod scilicet omnem hominem liberi arbitrij condiderit Deus. Sed quia per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt: ita istud liberum arbitrium, in universo genere humano, illius prævaricationis merito, vitiatum & corruptum, ita obcæcatum est & infirmatum, ut sufficiat homini ad malè agendum, id est, ad ruinam iniquitatis, & ad hoc solùm possit esse liberum: ad bene verò agendum, id est, ad exercitium virtutis, & fructum boni operis, nullo modo assurgat & convalescat, nisi per fidem unius mediatoris Dei & hominum hominis Christi IESU, & donum Spiritus sancti, instauetur, inluminetur, atque sanetur. sicut ipse Salvator in Evangelio promittit, dicens: *Sed vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* & Apostolus ait: *Vbi spiritus Domini, ibi libertas.* Vnde per hanc gratiam Christi, & spiritus Christi, humanum liberum arbitrium, inluminatum, atque sanatum, dicat gratulans illud Psalmista: *Dominus inluminatio mea & salus mea, quem timebo?* Qui igitur hanc gratiam libertatis accipere desiderat, ut ad bene & piè vivendum veraciter liber fiat, non de suis viribus præsumat, sed illi se fideliter sanandum corroboran-

*Ioan. 8.*

*1. Cor. 3.*

*Psal. 118.*



illimque committit, de quo idem Psalmista dicit: *Apud Dominum gressus hominis dirigentur, Psal. 35.*  
 & viam eius volet: illumque oret, atque supplicet dicens: *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, Psal. 118.*  
 & non dominetur mei omnis iniustitia. & iterum: *Deduc me Domine in via tua, Psal. 89.*  
 & ingrediar in veritate tua. & cetera similia.

OPVSCVLVM SECVNDVM.

De gratia & præscientia Dei, deque prædestinatione & libero arbitrio, de spe item ac fiducia salutis, & de sententia sancti Augustini.

*Opusculum hoc in veteri codice Amolonis Epistolam subsequitur, sine titulo, & ut apparet, sine principio.*

**G**RATIAM itaque Dei credere debemus; qua humanum genus, nullis suis bonis meritis præcedentibus, sola Dei gratuita bonitate & misericordia salvatur per unum mediatorem Dei & hominum IESVM Christum. Quam gratiam commendat ipse Dominus in Evangelio dicens: *Venit enim filius hominis Lue. 19.*  
 querere & salvum facere quod perierat. Hanc & Apostolus prædicat dicens: *Vt gratia Dei pro Hebr. 2.*  
 omnibus gustaret mortem. & alibi: *Deus autem, Ephes. 2.*  
 qui dives est in misericordia, propter nimiam